Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 305
Quelle:
Copyright:

rantur CCCLVI. nobis tantum CXXXII. Sola itaque Operis clausula est, quae in utroque Exemplari aliquantum congruit; ubi enim *Florentinum* legit: *qui in hoc praesenti saeculo in hospitio sui cordis meruerunt eum habere mansorem*, ibi Nostrum: *qui dominum mereantur hic et in futuro habere mansorem.* Verum istud nihil evincit, cum multis exemplis declarari facile possit, Commentatores recentiores diversos saepenumero una eademque phrasi antiquioris cujusdam usos fuisse. Quare rem in medio relinquo, definire non ausus, quaenam ad *Remigium Antissiod.* Commentaria pertineant. In nostris praeter *Augustinum*, *Hieronymum*, *Ambrosium* &c. etiam *Gregorius M.* et *Beda* excitantur. Unde de aetate statues. Ανεκδοτα esse docuit frustrata in quaerendo diligentia. A publicandis absterrere possit illud:

In Silvam ne ligna feras.

CXII. VII. C. 24.

181 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 259. f. per duas columnas exaratus rubricisque distinctus hunc praefert titulum miniatum: *Incipit postilla super euangelium mathei edita a fratre michaele de massa Ordinis fratrum heremitarum sancti augustini sacre pagine bachalario.* Post *Prooemium* generale in Commendationem sacrarum literarum, quod incipit: *Erunt fructus eius in cibum et folia eius ad medicinam, dicit dominus deus, hic est terminus in quo possidebitis terram. ezech. c. 47.* &c. sequitur aliud, quod *Divisio librorum* inscribitur, et post hoc demum succedit *Principium* sive Praefatio *super euangelium mathei*, quam Commentaria in duos illos *Prologos Matthaei* Evangelio praefigi solitos excipiunt. Occupantur his prima 16. folia, tandemque *fol.* 17. Enarratio ipsa hoc modo exorditur: *Liber generationis ihesu christi. totum euangelium beati mathei sicut et alia euangelia versantur principaliter circa christum qui est capud ecclesie verum* &c. et definit in his c. 26. verbis: *antequam gallus cantet bis, ter me negabis*, quae potius ex *Marci* 14. accersita sunt. Opus itaque imperfectum est in hoc Codice, eo magis, quod teste *Ossingero* in *Biblioth. Augustin.* p. 567. *Michael* non in *Matthaeum* tantum, sed in omnes Evangelistas commentatus sit. Rivulos illum impuros in *Postilla* sua derivasse, argumento sit illud *fol.* 247. p. 2. *Narrat iacobus in libro de vita christi quod die mercurij ante passionem — fuit virgo maria in tanto dolore et in tam forti agonia quod pluries illa die cecidit ad pedes sui dulcissimi filij semimortua* &c. *Senensis* fuit *Michael*, in oppido *Massae* natus, et morte praematura raptus *Parisiis* 1336. Quae scripsit, habentur in *Biblioth. supracit.* uti